www.e-rara.ch

# Ambrosius Calepinus Bergomates, professor devotus ordinis Eremitarum sancti Augustini, Dictionum latinarum e greco pariter dirivantium, earundemque interpretationum collector studiosissimus ...

**Calepino, Ambrogio**

**[Basel], [1512]**

**Universitätsbibliothek Basel**

Shelf Mark: UBH DB IV 4

Persistent Link: http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-996

F. Daniel Agricola Minoritanus, Leonardo Alantsee Foelicitatem

**www.e-rara.ch**
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d’imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L’éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l’imprimerie jusqu’au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

## F. Daniel Agricola Minoritanus/Leonardo Alantsee Foelicitatem.

Etsi plerosq; Leonarde Bibliopola/quoad sollicite parturientes Dictionum codices perlegerim: quorum alter in immensum excreuerit nemus: alter vero q̄q; copiosa redundaret vocabulorum multitudine: Tamen omnibus nostrum antecellere: & correctionis lima/ & scaturitionis vena/ Calepinum videre videor: quem e pluribus sagacitate quadam peculiari unum delegeras. Illud sane ausim perspecto volumine & cognito auctore: ut nulli secundus succedat asserere. Nulla profecto alterius (pace omniū dixerim) doctrina perspicacior/eruditio diaphanior: nulla deniq; studiosorum utilitati accommodatior. Hac itaq; opera tua omnium studentium tibi deuinxisti mentes: & eo amplius quo Adam noster de Langendorff hypoplastes/ Calcographiæ solertia: Calepinum uniuersis/& castigatum & sæpius reuisum: litteris excussum decusatumq; exhibuit. Vale ergo prouide vir Leonarde. Ex Basilea Sextadecima die mensis Februarias: Anno. 1512.

## Ambrosius Calepinus Eremitanus/Senatui Populoq; Bergomensi: Salutem plurimam dicit.

PLVRES ANNI SVNT MAGNIFICI CONSVMMATISSIMIQ; viri: ex quo vel a prophanis: tum veteribus: tum recentibus: vel a catholicis: & his sane doctissimis/sanctissimisq; viris: cōplurimas dictionū interpretationes: quæ mihi ad pernoscendas auctorꝝ sententias idoneæ viderentur: excerpere/atq; in unū cœpi cogere. Quod plane opus sic a me suscæptum esse velim existimetis: ut aliis/& mihi in primis: usui quādoq; futurū esse confiderē. Non em̄ tam instruendorꝝ aliorꝝ/q̄ mei exercendi ingenij gratia id efficere aggressus sum. Nam cū a teneris (ut aiūt) unguiculis: inter sacratorꝝ numerū fauentibus superis relatus fuissem: & neq; declamationibus refragante natura me dedendū putarem: neq; percipiendæ philosophiæ ulla mihi a patribus facultas daretur. Quippe qui in id tēporis incidissem: quo de saluandis animis tm̄modo cogitandū foret: cū nec tēpus omino frustra terendū ducerem: haud iniqua res visa est/ea me amplecti studia: quæ certam præ se ferrent humanitatē. Neq; vero eo vel temeritatis/vel dementiæ redactus sum: ut bonarꝝ artiū studiosis satis me facere posse existimē: quādo nemo (licet sapientissimus) id unq; præstare potuerit: certoq; sciam me nec tanto ingenio/tantave litteratura præcellere: ut quæ a Nonio marcello/Festo/Pōpeio/Pediano/Seruio/Donato/Varrone: cæterisq; latinæ linguæ luminibus/elucubrata fuerint: ego ipse magis religioni dedicatus/q̄ cuipiā disciplinæ/clarius/aut enucleatius scribere posse cōfiderē. Verū quia in præstatissimis illis litterarꝝ antistitibus plurima desiderabantur: ego (ut cōi studiosorꝝ utilitati consulerē: ac meis pro viribus suscæpti muneris officio cumulatissime satisfacerē) ea carptim ex omniū pene disciplinarum monumentis expromere conatus sum: multa cōtra Laurentiū vallā/contra Priscianū: aliosq; auctores præstantiorꝝ auctoritate nixus. Plus em̄ apud me Ambrosij/Hieronymi vel Augustini grauitas: & doctrina valet/& græcorꝝ: q̄ Laurentij vallæ studiosa reprehensio. Id autē bene maleve fuerim assecutus/iudicēt alij. Hoc unū affirmare ausim nostrū hoc opus: & vocabulorꝝ multitudine/ & præpositionū interpretamēto/& auctorꝝ citatione: ordineq; dictionaria cūcta superare. Quod cū in volumen amplū excreuisset: ac illud multorꝝ rogatu emittere statuissem: patriam delegi/cui id dedicarē. Nam cui potissimū consecrari opus de re litteraria debuit/nisi patriæ: & illi quidē patriæ/in qua magno & excellenti ingenio viri sunt: qui de grauitate/de iuris prudentia: deq; omni scientiarꝝ genere præclare meriti essent: quos ego tanq; obices oblatrātibus cōstitui opponere. Fere em̄ plæriq; omnes qui in litteris præsertim aliquid edidere: id principi/vel senatui cuipiā inscripsere: quærentes ut ab eorꝝ potentatu ac magnitudine: laboribus suis apud omnes auctoritatē/& ab inuidis tutelam/munimenq; pararent. Prudenter id quidē/quādo ita veteri consuetudine fieri videmus: ut omni in re quæ principes probant: ea cæteri laudent/cupiant/tueanť. Scio nāq; fu[ri]tros esse: qui labori nostro detrahant. Ita em̄ fit: ut quæcunq; mortales agāt: siue priuatim/siue publice: calumniæ subiacere certū sit: nec diuinis operibus maledica lingua parcit/tantū sibi humanus arrogat intellectus. Ego non nisi volentibus hæc legenda trado. Multa sane fateor a me tradita sunt/quæ alij probent/ab aliis vitio dentur: quod plærisq; (etiam doctissimis) usu venisse compertum est. Velle suum cuiq; est (inquit Poeta) nec voto viuitur uno. Domus quæ apud forum extructa est: ꝙ editior sit vel depressior q̄ æquū videatur/sæpe contēditur. Difficile reor omnibus placere posse. Sed ego non solū cuipiā me nō præpono: sed nec æquiparo quidem: eligens cū propheta abiectus esse in domo dei. Quare si meū opus a vobis accæptum fuerit/illudq; probasse videamini: abesse non poterit: quin a tam grauibus/tam doctis/tamq; eloquentibus viris laudatum: laudandū quoq; reliqui existiment. Multa vero: immo pene innumerabilia desunt in hoc opere. Quis em̄ uniuersa multis etiam queat comprehendere voluminibus? Verum ne longius epistolā euagari patiar: finem dicendi faciam: si modo hoc unum vos monitos effecero/quod ad rem plurimū conducere videtur: quippe quod unāquāq; dictionē inuentu facilē reddit. Nā omnes orationis partes/aut simplices sunt/aut cōpositæ. Quæ simplices sunt: suo quoq; loco pro duarꝝ triumve litterarꝝ præcedentiū ordine collocanť. Cōpositarꝝ aľs cum simplicibus/aľs per se: ꝓm variam multiplicemq; earum significantiā coaptaui: ab A littera initium sumens.